



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Cor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Plautum in Afnaria, Leonida servus in Atriani Sauria persona, *Justini*, inquit *in splendorem dari velas has foribus nostris?* Idque nominis est similitudine inde sumpta, quod perquam similia sunt buccis, quas aqua in aquam decidua sufficit.

## HUMANA FRAGILITAS. CAP. VII.

Πομφό-  
λοξὸ ἀν-  
θρώπου.

Quoniam vero tumorculi illi perexigui, qui stillicidiis in aqua fiunt, cito prætereunt, ad humana vitæ fragilitatem ostendendam hieroglyphicum factum est proverbium, *Homo bulla*, cuius meminit Varro libro de re rustica primo: quamvis nonnulli de iis tantum dictum volunt, qui iam futuri annis prope casuri sunt, & morituri.

## DE ANULO.

## FIDES. CAP. VIII.

Anuli usus  
apud vete-  
res.

Contra hunc  
Macrob.  
Saturn. lib. 3.  
c. 15. A pice  
Orata.

Præcipuum anuli significatum hieroglyphicumque verum, ingenui hominis fidem indicare: quædoquidem anulum veteres non ornatus, sed signandi causa circumferebant, nec plus habere, quam unum licebat: quamvis laudatissimum ejusmodi morem, succrescente postmodum luxu & divitiarum ostentatione, delictiosus populi labes violavit. Scimus enim invidiosum Sergio cuidam, nobili alioqui viro, cognomen additum, ut Orata diceretur, propterea quod duobus anulis aureis & grandibus uteretur: vulgus enim aurum, orum, ut nunc passim dicitur, enunciabat. Sed erat hoc ad gemmarum etiam ostentationem, quarum mox luxus crevit in immensum. Nam signum in uno tantum habere permittebatur, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides decerneret, quæ signaculo contineretur. In Divinis quoque literis anulus est fidei signum, quo spectare Evangelicum illud Theologi ajunt, *Date anulum in manum ejus*, & quod Psalm. legitur: *Signatum est super nos lumen voluntatis tui Domine*. Nam & Paulus ultimo Digestorum, anulum hujusmodi signatorum inter ornamenta recenserit negat. De hoc Cic. ad Q. Fratrem, *Sit*, inquit, *anulus tuus non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ*. Sane apud veteres testamentorum tabulæ, septem testium signis anularibus ornabantur, quæ facti testamenti fidem facerent. Quod vero servis atque libertis jus anulorum negaretur, quo tamen impetrato ingenuitas simul impetrata intelligeretur, xi. Digestorum lib. Papinianus, Neratius, Paulus & Ulpianus ostendere. Hic vero quasivisti à me, quid sibi vellet in scena anuli aurei legatus usus, quo non alibi, quam in scena liceret uti. Respondi, locum eum ex Pandectis desumptum esse, sed fecidissime viciatum eorum imperitia qui literas numquam attigerant. Nam quod vulgata habent exemplaria, *Proinde etsi scenicæ vestis usus fructus legetur, aut anuli auri, vel alterius apparatus, alibi, quam in scena non utetur*, legendum ex antiquissimo Pisano codice qui Florentiæ custo ditur: *Proinde si scenicæ vestis usus fructus legetur, vel aulæ, vel alterius apparatus, alibi quam in scena non utetur*. Habes enim vestem scenicam, habes aulæ, habes reliquum apparatus. Ac de aulæ hujusmodi apud Horatium legas. *Auditoris egent aulæ manentis*, in hujusmodi ornatus scenici significatum.

## COR. CAP. IX.

Hæc à Ma-  
crobio i. Sa-  
turn. 7. c. 13.  
Digitus a-  
nularis cur  
anulo ha-  
necatus.

Sed hæc utcumque habeant, illud manifestum est digito qui minimo lavæ proximus est, anuli gestandi munus demandatum, eaque de causa nomen illi inditum Anulari: erat enim is cordis indicium, ideoque institutum ab Ægyptiis, ut anulo tanquam corona honestaretur. Eundem Sacerdotes, ad deorum aras operantes confectis adoribus illinebant, idque propterea fieri solitum ajunt, quod dissectionum peritū nervulum quendam à corde natum per dorsum ad eum tendere, & in eo desinere compererint. Sane solebant in hujusmodi anulus eorum etiam imagines fieri, quorum memoriâ colerent & observarent, quod eos sibi præcipue cordi esse, qui eas gerebant, cum quadam etiam ambitione omnibus ostentarent. Unde Cicero lib. de Finibus, Epicuri studiosos memorans: *Epicuri imaginem, inquit, non modo in tabulis, sed etiam in poculis & in anellis habebant*.